

täglichen gemeinsamen Betrachtung, des Particularexamen, der Monats- und Jahrexercitien stattfinden. Und diese Uebungen galten als gleichwertige und gleichgeordnete mit der Verrichtung des Chorgebetes, — äusserlich losgelöst vom Lebensherde des Mönchthums; bei der erhöhtenThätigkeit nach Aussen und unter veränderten Zeitverhältnissen mochten sie Sicherung des inneren Lebens nothwendig erscheinend. (Vergleiche in den »Studien« Jahrgang 1884; II. 111 ff. und 392 ff.) Eine neue Schule der Ascese.

Uebrigens litt auch die Verfassung besonders in den Congregationen mit zeitlichen Obern durch den fortwährenden, überraschen Wechsel der Vertreter der Auctorität, bald mehr oligarchisch, bald mehr demokratisch zusammengestellt, bald einzelem Hause gegenüber dem andern ein Uebergewicht einräumend, bald die Magistros und Predicadores zu Ungunsten der einfachen Mönche über Gebühr begünstigend — nicht selten endlich durch ausserordentliche kirchliche und fürstliche Visitation und Reformation beunruhigt und erschüttert. Dieses, wie auch eine Ueberzahl von Decreten, stellte die Einfachheit und die Tiefe der väterlichen Auctorität der h. Regel nicht selten in Frage und schien auf die bildenden und bindenden Momente der h. Regel nahezu zu verzichten. Gleichwohl ist dieser Zeitabschnitt Beginn und Fortsetzung einer reichen inneren und äusseren Entfaltung des Mönchthums, wo immer der katholische Glaube obsiegte und Treue und Opfergeist des Mönchthums war dabei fürwahr nicht unthätig.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

## De viris illustribus monasterii Sancti Martini Tornacensis

auctore P. Aegidio Duquesne, edidit notisque illustravit D. Ursmarus  
Berlière O. S. B

Inter manuscriptos codices bibliothecae regiae Bruxellensis asservatur sub No. II. 366 historia coenobii S. Martini Tornacensis anno 1650 a D. Aegidio Duquesne hujus monasterii bibliothecario scripta, cui adnexus est libellus de viris illustribus qui in hoc monasterio floruerunt. Quum in ea nonnulla reperiantur quae ad illustrandam ordinis nostri litterariam rem juvare possint, statuimus ea juris publici facere, ita tamen ut quae de viris alias notis scripserit, vel ex jam vulgatis fontibus hauserit auctor, ea prorsus omitteremus, caetera vero annotationibus ex Chartulario, Necrologio Annalibusque San-Martiniani coenobii depromptis breviter explicaremus.<sup>1)</sup> Postquam de S. Eligio monasterii

<sup>1)</sup> Chartularium et Necrologium asservantur in archivio regio Bruxellensi. Prius quidem anno 1264 jussu Radulphi abbatis transcriptum sub Nrs. 121—122, alterum saeculo XVII exaratum sub Nrs. 753 et 753 bs.

primo fundatore et de Odone Aurelianensi, scholae Tornacensis magistro ejusdemque coenobii restauratore egit, tractat D. Duquesne de secundo abbate Segardo († 30 Jan. 1127), de B. Hugone, postea Marcianensi abbate († 12 Jun. 1158) et de Waltero abbate. Quibus vero praetermissis, quae de Gommero Monacho in vetusto Dialogorum S. Gregorii codice ad calcem posita reperit auctor, hic transcribenda duximus.

### De Gommero monacho.

„Diu rogatus a fratribus ut cujusdam fratris visiones litterarum memoriae traderem, dum evito praesumptionem incurro inobedientiae offensionem. Perpendens namque Beati Gregorii exempla de hujusmodi visionibus scripta ad correptionem mortalium posse sufficere, temerarium et quasi superfluum judico me de talibus aliquid scribere, sed ne elationem fugiens elatior et velut fratrum contemptor inveniar, licet imperito stilo quod injungunt aggrediar.

Eo igitur tempore quo primum cella quae Hadonis mansio nuncupatur juri Sancti Martini Tornacensis mancipata est, frater quidam Gommerus nomine ibidem Deo servire studiose curabat; qui licet in saeculari habitu, utpote de saeculo nuper egressus adhuc degens ceteros sibi cohabitantes merito sanctitatis et religiosae conversationis magnanimiter transcendebat. Unde factum est ut Dominus Odo Tornacensis coenobii venerabilis abbas ei habitum sanctae religionis traderet; eumque ad suam cellam remittens ceteris fratribus quasi imitabile exemplum proponeret. Qui factus monachus velut initium novae conversationis arripiens et secundum Apostolum ea quae retro sunt obliviscens, ad ea vero quae in ante sunt se extendens bravium supernae vocationis apprehendere festinabat. Erat quippe summae obedientiae, mirae patientiae, in orationibus pervigil in abstinentia praecipuus, in universa morum honestate praeclarus. Sed quia plerumque. ut ait B. Gregorius, hi quos jam quasi perfectos laudamus, adhuc in oculis summae divinitatis aliquid imperfectionis habent, hic de quo loquimur Gommerus paralitico morbo percussus omni membrorum officio destitutus est, annumque integrum in lecto recubans a fratribus administratus in cella sibi deputata jacebat. Sed quum membra nimio dolore solverentur, mens tamen integra in Dei laudibus persistebat. Nocte igitur quadam gravi molestia pressus dum adhuc pene vigilaret, videt Almandum de Provin qui nuper de hoc mundo migraverat, et qui supra dictam cellam cum sibi adjacenti terra in eleemosyna Sancto Martino dum adhuc viveret contulerat, duobus nigerrimis et atrocissimis canibus ante se trahi, qui vultibus in eum rejectis, carnes ejus flammis foetidis comburebant: duo etiam nihilominus horribiles retro sequentes crura ejus cruentis morsibus laniabant, eumque dentibus stridere perurgebant. Qua visione vir Dei nichil perterritus his eum verbis alloquitur: Quid modo, Domne Almande, quid modo? Male inquit, Sancte Dei: nam ab his quatuor incessabiliter discerpor et quod pejus est, discerptus ad poenas iterum reparor

nec ulla requies mihi datur, nisi cum in hoc loco pro me hostia salutaris immolatur. Tunc sanctus tantis miseri cruciatibus conturbatus, cum vellet quaerere utrum ab his ullo modo quiverit liberari, suspiriis et singultibus impulsus somno labente evigilans, visionem illam ultra videre non potuit: attamen in moerore quem conceperat usque dum lucesceret gemebundus remansit. Mane autem facto fratribus ad se convocatis quaecumque viderat lacrymabiliter enarrans orabat quatenus pro tam diris viri cruciatibus Deo devote supplicantes ejus quem amaverant misererentur positoque in tribulatione festinato subvenirent. Quod illi benignissime amplectentes triduarium Missae celebrationem pro ejus liberatione compleverunt, in conventu Sancti Martini idipsum fieri impetrantes. Non multum post vero cum quadam die isdem Gommerus in cathedra quae juxta lectum suum posita erat gratia relevandi doloris plene vigilans resederet, quidam juvenis speciosissimus stola claritatis coopertus per fenestram introiens ei astitit blandeque ac leniter dixit: noli frater amodo, noli comedere, mecum enim cito in gloria suscipiendus, hic jam diu non poteris immorari: hoc tantum fratres tuos commonere memento, ut si viam qua modo gradiuntur ad finem usque tenuerint, pro certo nostro sunt addendi collegio. Quem ille quis esset gestiens sciscitari, eadem fenestra qua venerat egressum tam subito sibi ablatum disparuisse dolebat. Quae cum Priori suo et fratribus retulisset, opinantes diabolicis fantasmatibus delusum, ejus infirmitati compatientes, eum quamvis invitum comedere coegerunt. Putabant namque illum de infirmitate posse convalescere, quippe quia ipsa die solito valentiorum et quasi hilariorem cernebant. Expleta igitur refectione ut aliquantulum pausaret eum solum relinquentes, jam die declinante antequam ad vespertinam sinaxin convenirent, Dominus Walbertus prior sicut saepe convenerat ad eum visitandum reversus, invenit ipsum genibus in pavimento flexis quasi ad orationem iucumbentem. Deinde propius accedens atque ut hunc erigeret leniter apprehendens, cognovit illum in oratione positum extremum spiritum exhalasse. Unde non dubium est ei aliquam virtutem angelicam apparuisse, quae ut eum paratiorum ad transmigrandum redderet, jejunium manere praemonuit et de gloria ad quam transmigrando veniret pronuntiavit. Quae huic volumini idecirco curavi advertere, quoniam licet stilo utpote imperito illi dissimilentur, materiae tamen similitudine junguntur. <sup>1)</sup>

De Gerberto et Alulpho, quorum vitam et opera in suo libro de restauratione coenobii S. Martini memorat Herimannus abbas silemus. Quae vero de Gonhardo priore e codice dialogorum jam citato descripsit noster Duquesne, propter narrationis antiquitatem, vulgamus.

<sup>1)</sup> Eadem habentur in Necrologio S. Martini quod in Archivio regio Bruxellensi sub Nr. 753 bis asservatur fol. 105—113.

De Gonhardo priore.

Divina providentia senescentem mundum oculo pietatis et clementiae suae respiciens, lumen valde coelicum mentium illuminationem accendere et lucernam Christo Domino dignatus est parare, quod corda tenebrosa calle malae consuetudinis plurimum obdurata, et multis peccatis valde infrigidata lumen sanctae religionis intus illustraret, calorem charitatis verbi Divini vehementer accenderetur B. Odonem vita, scientia, aetate et gratia Deo et hominibus spectabilem et valde praeclarum. Hic zelo divini amoris vehementer accensus in spirituali vita et sancta conversatione bene exercitatus omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire desiderans, cum in istis suae conversionis primordiis suavem admodum probitatis et sanctimoniae odorem in hoc coenobio cum paucis suis discipulis spargeret, partesque vicinas Urbis Tornac. ferventissima sua conversatione et aqua sapientiae salutaris verbis et exemplis irrigaret, illuminaret et accenderet, ita ut complures e diversis locis presbyteri, clerici, laici, virgines et viduae vestigiis et doctrinis ejus inhaerentes ad communem vitam et perfectionem religionis monasticae totis paecordiorum suorum affectibus vehementius aspirarent, contigit ut inter caeteros quatuor sanctae Mariae Tornac. canonicos sub pio Patre Domino Odone divinitus inspiratos celebri fama angelicae vitae fratrum Sancti Martini attractos per contemptum ecclesiasticorum beneficiorum et poenitentiam peccatorum ob spem salutis animae patriaeque coelestis amorem ac per ingressum sanctae religionis, et sancti habitus susceptionem Deo creatori suo cunctis diebus vitae suae fideliter deservire cupientes advenire. Ex his unus Gonhardus nomine, magistri sui Odonis vestigia sequens ejus sanctitatem adeo in se expressit, ut post Gerbertum priorem hujus coenobii primum ab eodem Odone Abbate constitutum, dignissimus sit habitus, qui in prioratu ei succedere valeret. Hic ergo Prior factus, ut hujus officii munere dignus haberetur. viam regiam monasticae institutionis et observantiae regularis in seipso et subjectis, per omne tempus vitae suae apprime custodivit. Denique fratribus dilectis ac cunctis religiosis utriusque sexus personis (sub disciplina Abbatis Odonis Domini suberant monasteria sanctimonialium) seipsum verae religionis et sanctitatis imitabile, divinum et formale praebuit exemplum. Moribus erat modestus, incessu disciplinatus, verbis circumspectus et opere timoratus, providus in consiliis et efficax in negotiis; inter honores et opprobria humilis et verecundus; humilitatem in cunctis praeferens, redolens pietatem, exhibens gratiam, aspectu et auditu aedificans intuentes, plenus sapientia et gratia coram Deo et hominibus. Tanta charitas, tantus fervor, tanta disciplina tantaque tunc devotio in hoc Coenobio vigeat ut etiam ferventissima circumcirca monasteria religiosissima

sua conversatione et vita sanctissima non parum antecedere haec domus Sancti-Martini videretur. Plantatio Dei bona, quam Pater Coelestis plantaverat, in numerosam valde personarum in brevi succrevit multitudinem, quae in praelatos priores aut rectores aliorum coenobiorum canonicè electa, quae zelo justitiae et decore domus Dei fraternaeque charitatis accensa omnem regularis vitae disciplinam, ordinis rigorem et institutionis perfectionem primum in semetipsis agere et exercere, experimentalique cognitione studuerunt adimplere, priusquam aliis ea imponere praesumerent. (Hoc testantur coenobia Marchianense, cui praefuerunt quatuor e nostris religiosis, Aquicinctium, Sancti Andreae prope Brugas, Sancti Vincentii prope Laudunum et alia.) Haec de tam praeclaro Priore dicta sufficiant; et quoniam vitam bonam, ut vulgo dicitur, mors bona commendat, hic describam ex manuscripto codice bibliothecae nostrae, quam gloriosa fuerit mors hujus Domini Ghonardi quam nobis reliquit autor anonymus hujus coenobii religiosus in principio dialogorum Sancti Gregorii: Verba sic sonant. „Dom. Gonhardus venerabilis prior hujus coenobii vid. Sancti Martini Tornacensis, dum vigesimo fere anno conversionis suae duodecimum responsum in festivis Sanctae Caeciliae more suo cantasset: id est »Dum aurora finem daret« cujus versus est, »Caecilia valedicens fratribus« illico ipse quasi jam sua finem dante aurora fratribus ultimum valedicens, matutinis necdum finitis aegritudine pulsatus, et ex ea tota die fatigatus sequenti nocte Vigiliis Sancti Clementis interesse nequivit, missam tamen in honorem ipsius martyris secreto cum multis lacrymis post capitulum cantavit, et illud quod in officio ipsius Missae dicitur i. e. nomen tuum et munera tua accepta erant super altare meum. quasi sibi dictum dulcissime receluit; finita vero missa nequaquam interius egritudini resistere valens in infirmariam secessit, et valde fatigatus septimo die i. e. in Vigilia Sancti Andreae post Vesperas congregato conventu de suis excessibus absolutionem petiit et impetravit, dum oleo sacro ungi se fecit et sic tandem viatico accepto, cruce etiam adorata cunctis fratribus multum lacrymantibus in osculo sancto eis valedixit. Post haec conventu recedente, et collatione completorio quae finitis dormitorium quiescendi causa petente, aeger pro communi necessitate se de lectulo levare rogavit et inter ministrorum manus subito velut in extasi raptus insensibilis consistit. Quem illi diutius pulsantes et inclamantes sibi immobilem persistere viderunt. In stratu cum reclinantes Dominum Segardum abbatem suum qui necdum dormitum ierat, celeriter evocaverunt. Festinus abbas cum aliquot fratribus occurrit, et Priorem post multas inclamationes tandem oculos aperientem quomodo se haberet perquirat. At ille respondens: nunc vere videbatur mihi me esse in alia quadam regione in qua magnam multitudinem albatorum hominum videbam properare cum crucibus, textu, candelabris et thuribus aureis

quasi ad receptionem alicujus magnae personae inter eos illico venturam. Sed cum talia nimis avide et gaudenter arderem prospicere, fratres nostri magnam mihi molestiam intulerunt, ita me a tanta jucunditate clamando et impediendo violenter abstrahentes; tandem in hoc me lecto posuerunt. Tunc Dominus Abbas: et quanam inquit, videbatur vobis illa fore persona tam festive suscipienda? respondit, non aliam, inquit, personam quam meipsum arbitrabar. Nunc vero quia me valde sermone lassatis, rogo vos ut abscedatis et quiescere me permittatis. Demum Dominus Abbas pacem et benedictionem conferens completorium cantavit et dormitum perrexit: cum ecce eo vix separato, aeger lento spiritum protrahere. a ministris cernitur: tabula ex more pulsata, conventus excitatur, ad Priorem curritur, corpus de lectulo supra cilicio et cinere superponitur; spiritus vero sicut creditur ab angelis suscipitur. Felix anima, quae meruit in hora exitus sui ab angelis consolari et ad patriam paradisi perducī. Officio divino pro ejus depositione peracto ante fores antichori (quod doxalle vocamus) corpus ejus traditum fuit sepulturae, sarcophago magno lapideo, loco superposito, epitaphium suo fervori operi et honori congruum et condignum ad pedes habens conscriptum, quod prae vetustate legi nequibat.<sup>1)</sup>

De Petro, olim Noviomensi canonico, postea S. Martini in prioratu S. Amandi de Thorota prope Compendium monacho, apud Herimannum legere est quae fusiori stilo narravit Duquesne. Eadem de causa, utpote jam satis celebres Herimannum abbatem, Amandum de Ca-tello, Marcianensem abbatem silentio praeterimus.<sup>2)</sup> Caetera quae de scriptoribus sui monasterii disserit auctor, integra exhibemus.

### De scriptoribus monasterii.

Primus occurrit quidam *anonymus* monasterii nostri coenobita, qui Sigeberti Gemblacensis Chronicon auxit nonnullis additionibus, quos legere poteris in nostro exemplari Sigebertino manuscripto. Habes easdem pro parte apud Aubertum Miraeum in Originibus benedictinis, ubi de monasterio nostro agitur ex codice Orteliano desumptas. Vixit auctor, ut eisdem arbitror circa renascentis ecclesiae nostrae primordia.<sup>3)</sup>

*Anonymus* alter itidem coenobii nostri religiosus scripsit visiones cujusdam fratris Gommeri nomine. ecclesiae nostrae monachi professi, qui sub Odone abbate insigni vitae sanctitate

<sup>1)</sup> Eadem in Necrologio f. 115—116 habentur. Obiit Gonhardus pridie calendis Decembris (ibid.)

<sup>2)</sup> de Herimanno cf. quae habent Wattenbach. Deutschlands Geschichtsquellen (1885) II. 155—156; Waitz ap. Mon. Germ. SS. XIV. 266 sqq; Forschungen z. d. G. XXI. 429—448; Analecta bolland. II. 243—246; de Amando quae scripsere Auctores Hist. litt. de la France XI. 211—213 et Paquot. Memoires litter. II. 393—395.

<sup>3)</sup> Additiones istas sub titulo Continuationis Tornacensis edidit Bethmann ap. Mon. Germ. hist. SS. VI.

claruit. Sic incipiunt: „Diu rogatus a fratribus ut cujusdam fratris visiones etc. . .“

*Anonymus* tertius ex nostri asceterii monachis, ex diversorum Doctorum operibus compilavit Homelias Dominicarum totius anni, quarum est exordium: „Cum appropinquassent Jerosolymis et venissent Bethphage.“ Quantum ex codicis caractere conjici datur, auctor multo posterior tempore fuisse videtur duobus prioribus anonymis scriptoribus.

*D. Guillelmus* monachus S. Martini Tornacensis ex operibus sancti Bernardi Abbatis magno studio collegit decem libros exceptionum sive florum, quos Bernardini titulo proenotavit. Exstat MS in codice membraneo nostri coenobii hoc initio: „Cum non essem alicui exercitio magnopere occupatus, placuit mihi etc. . .“ Habes item opus Parisiis excusum anno Domini 1499, sed suppresso auctoris nomine. Floruisse videtur, quantum conjectura ducor ex characteris vetustate, post annum Domini 1200.<sup>1)</sup>

*D. Aegidius Mucidus* (gallice Li Muisis) coenobii nostri decimus septimus abbas Tornaco oriundus.<sup>2)</sup> varia scripsit partim metro aut rythmo, partim prosa, quorum hic elenchus:

Chronicon desinens ad annum 1348 de rebus variis et accidentibus quae potissimum suo tempore in urbe Tornacensi, in Flandria quoque, Hannonia Francia ac aliis in locis contigerunt. Inserta habetur Tornacensium Episcoporum successio a Waltero de Marvis usque ad Johannem de Pratis.<sup>3)</sup>

Tractatus de his quae temporibus suis in coenobio nostro ante et post promotionem suam evenerunt.<sup>4)</sup> Tractatus de consuetudinibus approbatis antiquitus in coenobio nostro observari solitis.<sup>5)</sup>

Tractatus de accidentibus anno 1349, anno 1350, 51 et 52, in quo continetur proluxa narratio de destructione Judaeorum, de secta flagellantium, ac de ingenti mortalitate, quae Tornaci tunc

<sup>1)</sup> Inter monachos S. Martini nominatur Guillelmus quidam de Hautecourt anno 1216 (Cartul. I. 236). An idem sit ac noster, ignoramus. De Guillelmo cf. Paquot. Memoires pour servir à l'hist. litt. des Pays-Bas. XI. 377—378; Hist. litt. de la France XVIII. 395—397; Chevalier. Repertoire des sources hist. M. A. p. 975.

<sup>2)</sup> De Aegidio Li Muisis multi jam scripsere, quorum praecipuos indicare sufficiat: Dinaux Trouvères (1839) II. 205—234; de Gerlache ap. Messenger des sciences histor. (1825) III. 354—382; cf. 518—521; J. De Smet ap. Belgisch Museum voor de nederduitsche taal. 1840. f. IV. 181; Ottokar Lorenz. Deutschlands Geschichtsquellen. (3. Aufl. 1887) II. 25. Opera historica edidit Canonicus De Smet ap. Recueil des chroniques de Flandre t. II., poetica vero Cl. vir Kervyn de Lettenhove; Poèmes de Gille Li Muisis. Louvain Lefever. 1882. 2 vol. 8<sup>o</sup>.

<sup>3)</sup> Chronicon istud edidit De Smet. Chroniques de Flandre II. 111—293.

<sup>4)</sup> Manuscriptus servatur in bibl. regia Bruxellensi, e quo fragmenta edidit de Smet p. 115—130.

<sup>5)</sup> Ibid. fragmenta p. 130—136.

temporis et in locis circumvicinis ac universaliter per totum vigeat mundum, deque aliis pluribus eventibus.<sup>1)</sup> Accedit catalogus nostri coenobii Antistitum a primo usque ad decimum septimum latino et gallico rythmo singulorum elogia repraesentans.<sup>2)</sup> Sequuntur nunc tractatus metro vel rythmo gallico scripti:

Liber lamentationum, in quibus suos recognoscit ac plangit offensas.

Tractatus de quolibet hominum statu tam saeculari quam ecclesiastico aut regulari, in quo damnat abusus ac luxus virorum ac feminarum sui temporis, fuseque agit de ordinibus religiosis ac maxime de ordine nigrorum monachorum sancti Benedicti.

Tractatus de Romanis pontificibus, qui suo tempore ecclesiae praefuerunt, in quo de eorum electione ac creatione potissimum agit cum protestatione se ob reverentiam Romanae Sedis nihil super dictorum Pontificum, Cardinaliumve statu dicturum.<sup>3)</sup>

Tractatus rhythmicus de vita et obitu Reverendissimorum patrum Andreae de Florentia et Joannis de Pratis quondam ecclesiae Tornacensis episcoporum.<sup>4)</sup>

Compilavit etiam ad petitionem ejusdem Joannis de Pratis Episcopi Tornacensis jam memorati librum de statu suo et monasterii, in quo totius administrationis ac regiminis sui temporalis registrum continetur,<sup>5)</sup> quae omnia manuscripta exstant in nostra bibliotheca cum figuris variis et imaginibus. Inter mortales esse desiit piissimus et de ecclesia nostra optime meritus praesul anno Domini 1353.<sup>6)</sup>

*Jacobus Muevin* Tornaci natus, Aegidii Li Muisis abbatis primum Capellanus, deinde Prior claustralis, demum vacante per dicti abbatis mortem praelatura, cum in Romana curia optime audiret eo nomine ab Innocentio VI Pontifice dignam virtutibus suis promotionem accepturus accersitur; a quo cum ad ejus praesentiam apud Villam novam (qui locus non procul ab Avenione distat) coram patribus purpuratis diligenter examinatur, et mox in eodem consistorio a eodem Pontifice de dictorum patrum consensu ecclesiae nostrae decimus octavus abbas pronuntiatur et a Cardinale Ostiensi apud Avenionem cum maxima solemnitate maii 31<sup>a</sup> anno 1355 munus benedictionis adipiscitur.

<sup>1)</sup> Chronicon istud alterum edidit de Smet l. c. 305—436; cf. de Gerlache Nouveaux memoires de l' Académie de Belgique t. x.

<sup>2)</sup> Ibid. 437—448.

<sup>3)</sup> Tractatus istos typis vulgavit Kervyn de Lettenhove, ut supra diximus.

<sup>4)</sup> Pertinebat olim ad cl. virum Arthur Dinaux; cf. De Smet. l. c. p. 299.

<sup>5)</sup> Idem de hoc libro dicendum. p. 297.

<sup>6)</sup> Aegidius natus in Rongy prope Sanctum Amandum, non Tornaci, anno 1272, habitu religionis die 2 novembris 1289 indutus, obiit anno 1353 (de Smet p. 101) 15 octobris (ex Necrologio). cf. Dinaux. Trouvères p. 205; De Smet p. 297.

Exstitit orator, librorum dogmata rodens, canit ejus epitaphium.<sup>1)</sup> At vero auctor est Aegidius Li Muisis aliqua etiam per ipsum memoriae consignata esse sive registrata, ut loquitur. Habetur penes nos eo auctore ac scriptore, nisi vehementer fallor, breve Chronicon de rebus quae Tornaci potissimum ac in Flandriae contigerunt ab anno Domini 1297 usque ad annum 1339. Naturae concessit anno Domini 1367 quinta die Julii in templi nostri odeio sepultus ad sinistrum principis arae ex adverso abbatis Mucidi sui praedecessoris: cujus tumulus versibus exornatus pene integer et illibatus usque hodie perseverat.<sup>2)</sup>

*Simon de sancto Martino* prolixiorem scripsit epistolam, quae manuscripta exstat in nostra bibliotheca hoc titulo: Dilecto Priori de sancto Nicolao Simoni Simon modicus de Sancto Martino non modicam patientiae humilitatem.<sup>3)</sup> In ea disserit et ex Evangeliiis probare conatur peccatricem justificatam ad pedes Jesu duasque Magdalenas juxta D. Ambrosium ac Marthae Lazarique sororem quatuor distinctas fuisse personas refellitque sententiam dicti Prioris de sancto Nicolao qui unam duntaxat personam ex quatuor distinctis in scripta hac de re ad ipsum epistola, quae praemittitur conflabat. Ceterum coenobii nostri fuisse religiosum pluribus argumentis affirmare cogor, ac imprimis ex cognomento quod a monasterio nostro haud dubie professionis suae loco sortitus fuisse videtur. Deinde ex alterius Simonis, ad quem suam scribit epistolam, denominatione quem a vicina nobis sancti Nicolai de pratis abbatia olim extra, nunc intra Tornacum sita traxisse non dubium est. Nam eadem abbatia instituti ac morum est sancti Augustini, cujus ordinis idem Prior religiosus fuisse colligitur.<sup>4)</sup> Denique ex familiaritate quam dictus Simon de sancto Martino habuisse arguitur cum canonicis Tornacensibus, cujus rei testis est relatio quaedam, quam ex ore ipsorum acceptam in epistola sua citat, sic dicens: Retulerunt mihi canonici Tornacenses etc. Ex quibus omnibus nostri asceterii potius quam alterius cujuscumque ejusdem nominis monachis fuisse manifeste declarari videtur. Quare nostris cum scriptoribus vindico.

Habemus eodem auctore (nisi ad modicum fallor) sermones tres non contemnendae lectionis ante memoratae epistolae ad-

<sup>1)</sup> Cf. De Smet. II. 453.

<sup>2)</sup> Adnotatione istae quas cl. De Smet sub nomine Chronici Jacobi Muevini edidit (Chroniques de Flandre II. 455—470) hodie Bruxellis in archivio regio asservantur (Cartul. et Manuscrits Nr. 787.) Cf. quae de iis habet De Smet p. 451—453; Lorenz. II. 26.

<sup>3)</sup> Histoire litter. de la France XIX. 440.

<sup>4)</sup> In Necrologio monasterii S. Nicolai de Pratis a D. Canonico Vos (L'abbaye de S. Médard ou de S. Nicolas des Prés à Tournai. Tournai. Casterman 1879. I. 387—419) nullum Simonem priorem offendimus. Recensentur quatuor hujus nominis canonici, die 6 Feb., 27 Martii, 1 Junii et 18 Julii qui ante finem saeculi XIII. obierunt.

haerentes quos ex phrasi et etiam ex caractere ipsius esse facile est iudicare. Quocirca eorum hic principia ponam. Illorum primus, qui de nativitate Domini est, sic incipit: Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quaedam Martha nomine excepit illum in domum suam. Hodie completum est in oculis et auribus nostris etc. Alter sermo de Epiphania Domini sic exorditur: Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum. Luminosa praesentis diei solemnitas luminosum requirit sermonem etc. Tertius de nativitate B. Mariae hoc habet initium: Convenistis hodie, ut de sancta Dei genitrice Maria verbum audiat etc.

*Simon alter* aut forte unus et idem cum recensito scripsit librum cui titulus: Veri assertio, in quo acta Christi et passionem rythmis decantat. Adjecit ad calcem Christiadis suae hymnos de tempore et de sanctis, inter quos unus legitur de sancto Stephano et item de sancto Martino divis nostris tutelaribus, quos etiam in hymno de omnibus sanctis prae divis caeteris nominatim exprimit et laudat; et mihi inde conjectura aliqua nec vana quod fuerit nostri coenobii religiosus. Accedit alia non minor conjectura, quam facio ex nomine Lamberti Prioris. cui opus dedicatur, quo nomine coenobii nostri Priorem circa annum domini 1332 appellatum reperio.

*Matthaeus Feodati* (Fiev) nostri monasterii monachus apud Parisios Juris canonici professor claruit anno domini 1470, ut fidem facit quidam bibliothecae nostrae codex manuscriptus continens expositionem in quinque libros decretalium, in eujus calce haec de ipso memoriae consignata leguntur: Hunc composuit Parisiis Mathaeus Feodati monachus sancti Martini in Tornaco; idem Parisiis legebat in jure canonico et incepit legere anno LXX mense septembri. Hactenus ibi.<sup>1)</sup>

*Ambrosius de Woestine* Brugis nobili familia oriundus Parisiis anno Domini 1497 decretorum ac juris pontificii laurea decoratus, ac deinde Prioris apud nos auctus honore: jus canonicum versibus complexus est hoc initio: a Jove principium musae, quod opus a me nondum visum aliquando tamen lectum fuisse fertur in monasterio septem fontium prope Bruxellas. Visitur in nostro ambitu monumentum ipsius hisce versibus aeri incisus exornatum:

Ambrosius quodam noto cognomine dictus  
Woestine eximius virtute et pallade clarus  
Brugensis quem terra tulit, dum viveret, hujus  
Coenobii Prior hic fato tumulatur acerbo.

Obiit anno 1514 8<sup>a</sup> Septembris.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Errasse videtur auctor in anno, cum Matthaeus Fiev inter monachos S. Martini 3 aprilis 1371 appareat (Chartular. I. 228).

<sup>2)</sup> Cf. Sanderus. Scriptores Flandriae I. 16; Foppens. Bibl. belgica (1739) I. 48; Necrolog. S. Martini MS. (in Archivio regio Bruxellensi inter Chartul. et MSS. Nr. 753) p. 119.

*Thomas Leroy* aequae coenobii nostri Prior latinam Herimanni abbatis historiam in gallicum idioma transtulit, cui et breve auctarium adiecit continens successionem sequentium abbatum, qui ad sua usque tempora ecclesiae nostrae gubernacula tenuerunt, quod opus in nostra bibliotheca manuscriptum asservatur.<sup>1)</sup> Grandaevus obiit ac jubilarius anno 1506 18 Julii postquam ab emissionem votorum 70 annos in nostro monasterio laudabiliter egisset.<sup>2)</sup> Sepultus est in nostro ambitu sub lapideo sarcophago, cui effigies decrepiti senis insculpta cum elogio gallico in circuitu.<sup>3)</sup>

*Mathias Grenet* Bethunicensis coenobii nostri tertius Prior scripsit tractatum hoc titulo: Epilogus super quibusdam punctis principalibus in regula divi Benedicti contentis. Praefatio sic incipit: Cum philosophia sit Divinarum humanarumque cognitio rerum etc. Exstat in nostra bibliotheca calamo exaratus in membrana. Porro ex hac vita migravit anno Domini 1502 XIV Cal. Martii, ut ex obituario nostro constat.<sup>4)</sup>

*Joannes Bacillifer* (gallice Batonnier) Hannoninus a Brania comitis<sup>5)</sup> primum coenobii nostri professus coenobita, deinde Prior apud Gemblacum, ac tandem etiam, cum arctioris vitae desiderio teneretur, ordinem Carthusianum amplexus est in monte sancti Andreae prope Tornacum, quo in coenobio, cum aliquamdiu vixisset, ex hac mortali et corruptibili vita ad praestantiorum immortalitatemque, ut speramus translatus est 8<sup>a</sup> Julii, ut in ejusdem ecclesiae diario notatum reperitur, sed quo anno, cum ibi non prodatur incertum habeo. Cum adhuc in nostro Ordine degeret et in monasterio Egmondano apud Batavos positus esset, scripsit libellum quendam de ceremoniis ac consuetudinibus reformationis

---

<sup>1)</sup> Hodie asservatur in bibliotheca clar. comitis de Limminghe, Cf. quae de ea habent Waitz in sua Herimanni editione (Mon. Germ. hist. SS. XIV.) et Paquot. IX. 275.

<sup>2)</sup> Ita Necrolog. p. 57.

<sup>3)</sup> Praeter Herimanni chronicon, aliud Dionysii Carthusiani opus gallico sermone donavit: de quatuor novissimis ou les quatre novissimes ou les quatre choses dernières auxquelles la nature humaine doit toujours penser, traduit du latin en vers et en prose. Audenaerde. s. n. n. d. 4<sup>o</sup> (149 fol. ap. Arnold de Keysere c. 1480). Fol. 149 continetur acrostichon in quo Thomas Leroy ut versionis auctor indicatur. Cf. Brunet. Manuel 1820. II. 177; Du Puy de Montbrun. Recherches bibliographiques sur quelques impressions néerlandaises du XV<sup>e</sup> et du XVI<sup>e</sup> siècles. Leyde 1836. p. 5—6. Rarissimum istud opus in bibliotheca Gandavensis universitatis reperitur. De Thoma Leroy cf. Paquot. IX. 275.

<sup>4)</sup> cf. Paquot XI. 377.

<sup>5)</sup> Dujardin (La paroisse de Braine-le-comte. Souvenirs historiques et religieux. Braine-le-comte. Zech. 1890. p. 596) de ejus stirpe nonnulla haud spernenda collegit asseritque eum circa 1480 natum prioratu Gemblacensi c. 1540 abdicasse, sed haec hausisse videtur ex Paquot XVII. 234—235. Cf. Biographie nationale publiée par l'academie royale de Belgique I. 771.

Bursfeldensis, quem libellum postea Gemblaci, deinde ad Carthusianos discedens ad instantiam suorum confratrum reliquit.<sup>1)</sup> Scripsit etiam factus Carthusianus varios rythmos gallicos sive dictamina, ut vocabat ipse, de rebus praesertim spiritualibus et nonnulla alia ad pietatem spectantia. Passim libris et scriptis inscribebat, ac pro symbolo verba haec usurpabat: Nisi in Deo gaudium. Nec immerito tali fuit elogio usus, nam totus Deo vacabat, et rerum divinarum contemplationi ac meditationi exercitiisque spiritualibus deditus erat, ut proinde de seipso alibi protestatus sit his verbis: Sentiant alii, ut velint, non credo me esse carthusianum, neque etiam religiosum, quamdiu optavero alibi occupare cor meum et mentem meam, quam circa Deum creatorem meum et summum bonum. Haec ipse: adhuc in vivis erat anno 1534 non diu tamen postea supervixisse crediderim.<sup>2)</sup>

*Rev. D. Jacobus de Marquais* Atrebatii nobilibus parentibus progenitus et ibidem apud insignem divi Vedasti abbatiam religiosus ac summus Prior, necnon sacrae theologiae Baccalaureus, a Philippo II Hispaniarum rege catholico ob vitae meritum et sapientiae doctrinam, magno Dei beneficio coenobio nostro datur Antistes anno 1584, vir totus ad antiquitatis exemplar compositus, et inter optimos aetatis suae abbates jure meritissimo adnumerandus immortalique memoria apud nos dignissimus, quem quanti fecerit Illustr. Annalium ecclesiasticorum scriptor Cardinalis Baronius, abunde testantur plures ejusdem Cardinalis epistolae peramanter ad eum scriptae, quarum unam ita exorsus est: Admodum Reverende et observantissime Domine, acceptis tuis litteris, quae quidem pro veteri inter nos amicitia, meaque singulari erga te propensione acciderunt mihi jucundissimae, negotium illud de quo scribis, toto pectore statim sum complenus etc. Et inferius sic habet: Etsi ad meum erga te amorem accedere nihil potest, quotidie tamen augeri mihi is videtur. Quo etiam erit nobis optatior tuus ad Apostolorum limina adventus anno saeculari sacro etc. Sed venio ad ejus lucubrationes. Scripsit Commentarium amplissimum in Regulam sancti Patris nostri Benedicti, cujus est exordium: Operae pretium me facturum arbitratus sum, dilecti fratres, si ante regulae explicationem etc. Habemus hujus operis exemplaria duo. Scripsit item librum cui titulus „Speculum pastorum“

<sup>1)</sup> Errat Dujardin cum asserit Joannem nostrum eo consilio libellum suum Gemblaci reliquisse ut confratres suos ad reformationem Bursfeldensem amplectendam induceret, quam anno 1505 ab Arnolde de Solbrecq, Gemblacensi abbate, antea S. Martini Tornacensis professo, jam introductam videmus. Hinc suspicamur Joannem a dicto abbate Gemblacum fuisse evocatum. (Cf. Berlière. *Monasticon belge*. I. 24, 79.).

<sup>2)</sup> Cum Gemblaci degeret Joannes noster, vitam S. Guiberti a Sigeberto scriptam in gallicum vertit sermonem cf. Paquot. I. c.; Doyen. *Bibliographie namuroise* I. 105.

in quo tum sanctorum patrum testimoniis, tum perspicuis rationibus omnia abbatum aliorumque praelatorum curam animarum habentium officia explicantur. Sic incipit: Vulgo fertur qui navigant mare, sciunt pericula ejus. Hunc librum in lucem prolaturus erat, nisi mors intervenisset.

Composuit et tractatum cui titulus: Speculum exercitiorum monachi, item aliud de institutione novitiorum, utrumque in gratiam nostri coenobii tyronum; Explicationes item in psalmos 45 et 46 et conciones varias; Commentaria in Ecclesiasten et Epistolam ad Romanos, tractat. de explicatione Catechismi, Tractat. de sacramento Eucharistiae; Catechismus catholicus juventuti formandae maxime necessarius, una cum quaestionibus ejusdem catechismi verum et germanum sensum inquirentibus et responsione adjecta; lucubrationes diversae ex diversis auctoribus collectae; septem psalmorum quos Ecclesiae usu poenitentiales veterum explicatio; tractatus de cognitione Dei qui sic incipit: Contemplatio divinae virtutis sicut praemium; Le martyrologe de Rome avec les vies d' aucuns saints les plus illustres mises en bref par Dom. Jacque de Marquais, et alia plura quae apud nos in schedis latent.<sup>1)</sup>

Defunctus sepelitur venerandus praesul ad aram Virginis Mariae cum elogio sepulchrali, quod sibi vivens scripserat tumulo apponendum. Laudavit eum pro funere gallice Dom. Joannes Bouchier Tornac. Ecclesiae canonicus, disertissimus ecclesiastes ac Sorbonae Doctor celeberrimus hoc themate: Dicite justo quoniam bene. Obiit anno 1644 9<sup>a</sup> Maii.

*Georgius Lapidanus* (gallice Delpierre) Tornacensis, coenobii sancti Martini singulare ornamentum, Lovanii olim studiorum gratia degens, ob doctrinae theologicae praestantiam ac insignem eruditionem uno studiosorum ore, ac gravissimorum etiam virorum calculo, doctus audiit monachus: quo nomine ibidem vacantiarum ut vocant Prior factus fuit et theologica laurea donatus anno 1573. Reversus inde ad monasterium, sacrae Theologiae lectoris, subprioris ac prioris claustralis functus fuit officiis. Postremo missus in Galliam, prioratui nostro apud Laudunum clavatum praefuit. Tandem venerabilis senex anno Christi 1627, ingressae vero Religionis 70 aut circiter, agens aetatis annum 83, secunda Januarii diem clausit extremum, cujus cadaver honorifice toto paene Laudunensi clero deducente elatum, ibidem sepelitur apud Patres Minimos sancti Francisci de Paula.

<sup>1)</sup> Jacobus abbas Necrologium transcribi jussit quod hodie in Archivio regio Bruxellensi asservatur cuique epistolam ad monachos suos praemisit in qua de novo breviario monastico a Pio V correcto et in monasterium suum inducendo, relictis Cluniacensibus usibus breviarioque proprio, sermonem habet. Fusius de ejus administratione egit Duquesne in prima operis sui parte p. 179 sqq.

Operum tametsi nihil typis mandaverit, doctrinae tamen theologicae non semel publicum specimen dedit, et vere quid posset ostendit, dum coram honorabili ae frequenti auditorio funebrem habuit orationem latinam in exequiis R<sup>di</sup> in Christo Patris D. Joannis du Quesne, monasterii nostri abbatis, hoc themate: Cecidit corona capitis nostri. Concinnavit etiam pro privato officio ac domestico ecclesiae nostrae usu Ordinarium quoddam, in quo ea quae ad debitum officium divinum celebrandum spectant, continentur; est ejus tale exordium: Quanquam satis sciam plerosque confratrum etc. Nec prosa tantum sed versu quoque valuit: indicio sunt inter alia versus aliquot ab ipso olim fusi non ineleganter, qui sub tabula summi altaris ecclesiae nostrae leguntur accommodati ad historiam Dominicae Passionis quae repraesentatur in dicta tabula.<sup>1)</sup>

*D. Jacobus Loucherus* (Le Louchier) fac. theologicae baccalaureus formatus, nostri coenobii lector ac postea Subprior, necnon tyronum moderator, Smaragdi abbatis Diadema monachorum ex MSS. nostrae bibliothecae codicum collatione accurate castigatum, marginumque notis ac citationibus illustratum et R<sup>do</sup> D<sup>no</sup> Petro Loyers praesuli nostro defuncto dedicatum Tornaci evulgavit anno 1610. Obiit plenus dierum aetatis 75 anno 1658, ipso die natalis Domini sub horam tertiam matutinam.

*D. Martinus Hackart*, prior hujus coenobii claustralis, vir moribus instructus et virtutum insignibus adornatus, egregiis etiam viris merito adnumerari debet. Is Tornaci nobili parentela natus, sed scientiarum gloria illustrior, sacrae theologiae baccalaureus, divini verbi praeco eximius extitit, cujus sermones idiomate gallico servantur in nostra bibliotheca manuscripta. Vir erat aeterna memoria dignus perpetuaque laude apud posteros celebrandus quippe totius virtutis et religionis exemplar fuit et justitiae tenax. Ex eo die quo sanctae conversationis habitum in praesenti coenobio semel assumpsit, semper in anteriora proficiens, retro non adspexit. Certe plurima inerant ipsi quae sanctum ejus regimen premitterent animi candor, religionis et disciplinae cultus, magna in pauperes liberalitas, ingens in afflictos commiseratio, doctrinae multa vis, spirituum discretio et prudentia singularis. Obiit plenus dierum anno 1640, aetatis 78; sepultus in claustro prope capitulum.

Huc usque P. Aegidius Duquesne, merito dignus qui caeteris accenseatur, quippe qui decessorum suorum res praeclare gestas memoriae prodiderit. Athensi oppido oriundus, Religionem die 26 Junii 1625 professus, diversis in claustro functus est muneribus; bibliothecarius primum, subprior anno 1668, prior renuntiatus est 2 nov. 1669, quod officium, postquam D. Franciscus Legrand Rmi. D. Petri Cazier abbatis coadjutor nominatus fuerat, proprio motu die

<sup>1)</sup> Historiae D. Aegidii Duquesne insertum est folium in quo indicatur P. Georgium priorem esse denominatum anno 1585, missumque fuisse Laudunum ad prioratum de Chantelou anno 1605.

17 martii 1673 abdicavit. Obiit vir bonus, magnum sui desiderium relinquens aetatis anno 77, die 31 decembris 1678. <sup>1)</sup> Inter ejus opera imprimis recensentur Historia coenobii S. Martini quam e domesticis fontibus, quorum nonnullos deperditos dolemus, magna diligentia depromsit, et Bibliothecae Sanmartinianae Catalogus.

Historia monasterii sub Annalium forma brevi, jussu capituli, continuata est usque ad annum 1702. Annotationum istarum inter alios auctores nominantur D. Rupertus de Los, quem, postquam in S. Martini coenobio lectoris et prepositi munus obierat, Hasnonensem abbatem rex Franciae nominavit. <sup>2)</sup> D. Gregorius de Duaco, anno 1681 professus, et D. Franciscus Legrand. <sup>3)</sup>

---

<sup>1)</sup> Ex notis Historiae coenobii insertis.

<sup>2)</sup> Cf. Registre du chapitre de l'abbaye de Saint-Martin de Tournai in archivio regio Bruxellensi inter Chartul. et MSS. Nr. 787 asservatum, fol. 55v, 85v, et nonnulla folia ad annum 1694 inserta; Dewez. Histoire de l'abbaye de Saint-Pierre d' Hasnon. Lille. 1890.

<sup>3)</sup> Ex foliis Historiae D. Duquesne insertis.

